



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De ebrietate, qu[a]e opponitur sobrietati. Quæatio 150.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

De ebrietate, in quatuor articulos diuisa.

D Einde considerandum est de ebrietate.

- ¶ Et circa hoc queruntur quatuor.
- ¶ Primo, utrum ebrietas sit peccatum?
- ¶ Secundo, utrum sit peccatum mortale?
- ¶ Tertio, utrum sit grauissimum peccatorum?
- ¶ Quarto, utrum excuset à peccato.

ARTIC. I.

Utrum ebrietas sit peccatum?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod ebrietas non sit peccatum. Omne enim peccatum habet aliud peccatum sibi oppositum: sicut timiditati audacia, & pusillanimitati presumptio opponitur. Sed ebrietati nullum peccatum opponitur. Ergo ebrietas non est peccatum.

714
Mal 2 14
a 4 ad 2
Ti. 2.
le. 1 si. et
eth le.
11. fin.

¶ 2 Præterea, Omne peccatum est voluntarium. Sed nullus vult esse ebrius, quia nullus vult priuari usu rationis. Ergo ebrietas non est peccatum.

¶ 3 Præterea, Quicumque est alteri causa peccandi, peccat. Si ergo ebrietas esset peccatum, sequeretur quod illi qui alios inuitant ad potum quo inebriantur, peccarent: quod videtur esse valde durum.

¶ 4 Præterea, Omnibus peccatis correctio debetur. Sed ebrijs non adhibetur correctio. Dicit enim Gregorius, quod cum venia suo ingenio sunt relinquendi, ne deteriores fiant, si à tali consuetudine euellantur. Ergo ebrietas non est peccatum.

SED contra est, quod Apoll. dicit ad Roman. 13. Non in comestationibus, & ebrietatibus.

RESPONDEO dicendum, quod ebrietas dupliciter potest accipi. Vno modo, prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato: ex quo fit ut non sit compos rationis. Et secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum poenalem consequentem ex culpa. Alio modo ebrietas potest nominare actum, quo quis in hunc defectum incidit: qui potest causare ebrietatem dupliciter. Vno modo, Sec. Sec. vol. iij.

Q ex

ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis. Et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipuè si non ex negligentia hominis contingat. Et sic creditur Noe inebriatus fuisse, vt legitur Gene. 9. Alio modo ex inordinata concupiscentia, & vlu vini. Et sic ebrietas ponitur esse peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere. Diuiditur enim gula in comessationem, & ebrietatem, quæ prohibet Apostolus in auctoritate inducta.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Philof. dicit in 3. Ethic. * insensibilitas quæ opponitur temperantiæ, non multum contingit. Et ideo tam ipsa, quàm omnes eius species, quæ opponuntur diuersis speciebus temperantiæ, nomine carent. Vnde & vitium quod opponitur ebrietati, innominatum est: & tamen si quis scienter in tantum à vino abstineret, vt naturam multum grauaret, a culpa immunis nõ esset.

Ad secundum dicendum, quòd obiectio illa procedit de defectu consequenti, qui est inuoluntarius. Sed immoderatus vñus vini est voluntarius: in quo peccati ratio consistit.

Ad tertium dicendum, quòd sicut ille qui inebriatur, excusatur à peccato, si ignoret fortitudinem vini: ita etiam ille qui inuitat aliquem ad bibendum, excusatur à peccato, si ignoret talem esse conditionem bibentis, vt ex hoc potu inebrietur. Sed si ignorantia desit, neuter à peccato excusatur.

Ad quartum dicendum, quòd aliquando correctio peccatoris est intermittenda, ne fiat inde deterior, vt supra dictum * est. Vnde Aug. dicit in epistola ad Aurelium episcopum †, de comessationibus, & ebrietatibus loquens, Non asperè, quantum existimo, non durè, non imperiosè, ista tolluntur, sed magis docendo, quàm iubendo; magis monendo, quàm imando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium: seueritas autem exercenda est in peccata paucorum.

9. 33. 2. 6
Epif. 64.
parñ an.
te me. 1. 2

Utrum ebrietas sit peccatum mortale? 725

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ebrietas non sit peccatum mortale. Aug enim in sermone * de purgatorio dicit, ebrietatem esse peccatum mortale, si sit assidua. Sed assiduitas importat circumstantiam, quæ non trahit in aliam speciem peccati: & sic non potest in infinitum aggravare, ut de veniali faciat mortale, sicut ex supra dictis patet. Ergo si aliâ ebrietas non est peccatum mortale, nec etiam hoc modo erit peccatum mortale.

¶ 2 Præterea, August. * dicit in eodem sermone, Quotiens aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere. Peccata autem minuta dicuntur venialia. Ergo ebrietas quæ causatur ex immoderato potu, est peccatum veniale.

¶ 3 Præterea, Nullum peccatum mortale est faciendum propter medicinam. Sed aliqui superflue bibunt secundum consilium medicinæ, ut postea per vomitum purgentur: & ex hoc superfluo potu sequitur ebrietas. Ergo ebrietas non est peccatum mortale.

SED contra est, quod in Canonibus Apost. legitur, Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, alæ, aut ebrietati deseruiens, aut desinat, aut deponatur. Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter & laicus. Sed tales pœnæ non infliguntur, nisi pro peccato mortali. Ergo ebrietas est peccatum mortale.

RESPONDEO dicendum, quod culpa ebrietatis, sicut dictum * est, consistit in immoderato usu, & concupiscentia vini. Hoc autem contingit esse tripliciter. Vno modo, sic quod nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem. Et sic ebrietas potest esse sine peccato, ut dictum * est. Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen abstinere potum esse inebriare potentem. Et sic ebrietas

Q 2 tas

1. 2. q. 88
a. 5. ad 1.
¶ 2. dif.
24 q. 2.
a. 6. con.
Et mal.
q. 2. a. 8.
ad 3. ¶
Ro. 13, le.
3. cor. 4.
et 1. Cor.
5. lec. 3.
cor. 2. fin.
* in ser.
4. in die
animarū
10, 10.
¶ 1. 2. q.
88. ar 7.
* serm. 4
i die aia
rū, ante
me. 1. 10.
¶ Canone
42.
ar. præ.
Ibid.

entis.
gato,
agat.
Gene.
su vi
ntine
enim
hiber
Philis.
r tem
ipia,
liueris
e & vi
est: &
eres, ut
o esser.
lla pro
tarius.
in quo
inebriat
em vini
m, ex
irionem
morantia
correptio
terior
bistola
& dicit
imo, non
is docent
niamdo,
cantuum
uorum.
A R.

tas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest contingere quod aliquis bene aduertat potum esse immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam à potu abstinere. Et talis proprie dicitur ebrius: quia moralia recipiunt speciem non ab eis quæ per accidens eueniunt præter intentionem, sed ab eo quod est per se intentum. Et sic ebrietas est peccatum mortale: quia secundum hoc homo volens & sciens, priuat se vsu rationis quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat. Et sic peccat mortaliter, periculo peccandi se committens. Dicit enim Ambr. in lib. * de Patriarchis, Virgadam dicimus ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Vnde ebrietas, per se loquendo, est peccatum mortale.

lib. 1. de
Abrahã
ca. 6. non
procul a
fi. 10. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod assiduitas facit ebrietatem esse peccatum mortale, non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quod homo assidue inebrietur, quin sciens, & volens ebrietatem incurrat, dum multotiens experitur horridum dinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.

Ad secundum dicendum, quod plus sumere in cibo vel potu, quam necesse sit, pertinet ad vitium gula, quæ non semper est peccatum mortale. Sed plus sumere in potu scienter vsque ad ebrietatem, hoc est peccatum mortale. Vnde Aug. dicit in 10. Confess. Ebrietas longè est à me, misereberis ne appropinquet mihi. Crapula autè nonnumquam subrepsit seruo meo.

c. 11. an-
te me. 1
* q. 141.
ar. 6.

Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est, ebrietas & potus est moderandus secundum quod competit corporis valetudini: & idè sicut quandoque contingit vt cibus, vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo: ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit secundum consilium medicinæ ad vomitum prouocandum, non est reputandus superfluus cibus, vel

vel potus. Nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur quòd sit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat: & idè propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate.

ARTIC. III.

Verum ebrietas sit grauissimum peccatorum?

726

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd ebrietas sit grauissimum peccatorum. Dicit enim Chrysofost. * quòd nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas, & lasciuia, quæ est mater omnium viciarum. & in Decreto dicitur distinct. 35. † Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quæ omnium viciarum radix, & nutritrix est.

† Ho. 71. ad pop. Antioch. à med il. lius, t. 5. † In decreto di. 35. c. ante omnia

¶ 2 Præterea, Ex hoc dicitur aliquid esse peccatum, quòd bonum rationis excludit. Sed hoc maxime facit ebrietas. Ergo ebrietas est maximum peccatorum.

¶ 3 Præterea, Magnitudo culpæ ex magnitudine pœnæ ostenditur. Sed ebrietas videtur esse maxime punita. Dicit enim Ambr. * quòd non esset in homine seruitus, si non fuisset ebrietas. Ergo ebrietas est maximum peccatorum.

* In lib. de Helia c. 5. parū ante me t. 4. † lib. 33. Mor c. 12. parū ante vied. habetur.

SED contra est, quòd secundum Gregor. † vitia spiritualia sunt maiora quàm carnalia. Sed ebrietas continetur inter vitia carnalia. Ergo non est maximum peccatorum.

RESPONDEO dicendum, quòd ex hoc dicitur aliquid esse malum, quòd priuat bonum. Vnde quanto maius est bonum quod priuatur per malum, tanto malum grauius est. Manifestum est autem quòd bonum diuinum est maius, quàm bonum humanum. Et idè peccata quæ sunt directè contra Deum, sunt grauiora peccato ebrietatis, quod directè opponitur bono rationis humanæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd ad peccata intemperantiæ maxime homo habet pronitatem, propter hoc quòd huiusmodi concupiscentiæ, & delectationes connaturales nobis sunt. Et secundum hoc dicuntur huiusmodi peccata esse maxime amica diabolo,

Q 3 boio,

bolo, non quia sint alijs grauiora, sed quia sunt apud homines frequentiora.

Ad secundum dicendum, quod bonum rationis impeditur dupliciter. Vno modo, per id quod est contrarium rationi. Alio modo, per id quod aufert vsum rationis. Plus autem habet de ratione mali id quod contrariatur rationi, quam quod ad horam vsum rationis aufert. Vfus enim rationis potest esse & bonus, & malus, qui tollitur per ebrietatem. Sed bona virtutum quæ tolluntur per ea quæ contrariantur rationi, sunt semper bona.

Ad tertium dicendum, quod seruitus est consecuta ex ebrietate occasionaliter, in quantum Cham maledictionem seruitutis in sua posteritate accepit, propter hoc quod irrisit patrem inebriatum; non autem seruitus fuit directe pœna ebrietatis.

ARTIC. IV.

Vtrum ebrietas excuset à peccato?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod ebrietas non excuset à peccato. Dicit enim Philosophus in 3. Ethicor. * quod ebrius meretur duplices maledictiones. Ergo ebrietas magis aggrauat peccatum, quam excuset.

¶ 2 Præterea, Non excusatur peccatum per peccatum, sed magis augetur. Ebrietas autem est peccatum. Ergo non excusat à peccato.

¶ 3 Præterea, Philosophus dicit in 6. Ethicor. * quod sicut ratio hominis ligatur per ebrietatem, ita ligatur per concupiscentiam. Sed concupiscentia non excusat à peccato. Ergo etiam neque ebrietas.

SED contra est, quod Loth excusatur ab incestu propter ebrietatem, vt Augustinus * dicit contra Psephism.

RESPONDEO dicendum, quod in ebrietate duo attenduntur, sicut dictum * est, scilicet defectus consequens, & actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur vsum rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantum causat inuoluntatem.

717
1. 2. q. 76
art. 4. ad
1. & 4.
Et 2. dif.
21. q. 2.
a. 2. ad 2
* c. 5. in
med.
† c. 5. &
11.
lib 22. c.
44. t. 6.
* arti. 1.
huius q.

tarium per ignorantiam. Sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum: quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa, sicut fortè accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus: in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatū. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarij. Vnde Aug. dicit contra Faustum *, quòd Loth culpandus est, non quantum ille inceffus, sed quantum ebrietas meruit.

lib. 22. c. 44. to. 6.

Ad primum ergo dicendum, quòd Philosoph. non dicit quòd mereatur grauiorem maledictionē ebrius, sed quòd mereatur duplicem maledictionem propter duplex peccatum. Vel potest dici quòd loquitur secundum legem cuiusdam Pittaci, qui, vt dicitur in 2. Polit. * statuit quòd ebrij si percuterent, plus puniretur quàm sobrij: quia plures s̄ iniuriantur: in quo vt Aristot. ibidem * dicit, videtur magis respexisse ad vtilitatem, scilicet vt cohiberentur iniuriæ, quàm ad veniam, quam oportet habere de ebrijs propter hoc quòd non sunt sui compotes.

In s. 5. t̄ adde: dum sunt ebrij, q̄ dum sunt sobrij.

Ad secundum dicendum, quòd ebrietas habet excusare peccatum, non ex ea parte qua est peccatum, sed ex parte defectus consequentis, vt dictum * est.

* eod. loc. nunc dicto.

Ad tertium dicendum, quòd concupiscentia non totaliter ligat rationem sicut ebrietas, nisi forte sit tanta quòd faciat hominem insanire. Et tamen passio concupiscentiæ diminuit peccatum, quia leuius est ex infirmitate, quàm ex malitia peccare.

In co. ar.

QVÆST. CLI.

De castitate, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de castitate. Et primò de ipsa virtute castitatis. Secundò, de virginitate, quæ est pars castitatis. Tertio, de luxuria, quæ est viciū oppositum.

Q 4 ¶ Cir-